

Contenta

Formula reformationis

S. Cas. Nris de reatio.

Oratio legatorum regis Galie

Epitaphia et exhortatio regiam

Oratio in duobus

Epitaphia legum

Oratio de reatio

Oratio de reatio

Regum de reatio

40

fo
6




Beibd 6

7

G> LOGI SILESII EPI
GRAMMATA ALI
QVOT CRACO
VIÆ LVSA>

G. LOGI STEPHI EPI
GRAMMATA AID
CVOT CRAO
VIA LIBRA



INCLYTO ET MAGNANIMO SI-
GISMVNDQ AVGVSTO REGI
POLONIAE INVICTISSIMO.

Non timidos sequitur, lepores capreas uè fugaces

Nec cerui in ramos cornua sparsa suos
SISMVNDus Rex Augustus, sed saeva Leonum

Robora, & hyrcanae tygridis exuuias,
Vnguibus horribiles uè Vrsos, & torua tuentes,

Impiger infesto cominus ense ferit.

Aut vri eludit rabiem frontemq; furentis,

Fulmineum aut lato cuspide sternit aprum:

Aggreditur fortes, & forti pectore vincit.

Imbelles spernit vis generosa, feras.

AD EVNDEM▶

Veridico Vates diuini ab Apolline docti

Prospiciunt longe quid ferat hora sequens.

Namq; olim memini, & multum meminisse iuuabit

Maxima penè puer cum documenta dares.

Hæc de te cecini, Phœbo duce & augure Phœbo

Auguste, Aonidum nec minus admonitu.

Te genitum magnis, magnum clarumq; futurum,

Et dignum generis te fore ubiq; tui.

Vera equidem cecini, sed sum deceptus in vno,

Maximus es, magnum te fore tunc cecini.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO
HEROI IOANNI COMITI
A TARNOW, CASTELLANO,
CRACOVIENSI ETC▶

Arma inter, curasq; graues, & mille labores,
Qui te sollicitum nocte dieq; tenent.
Militiæ dum Sarmaticæ Dux maximus ipse es,
Intrepidaq; hostes sternis sybiq; manu.
Tarnouiane, inter tua tot tibi ab hoste trophea
Et sophiæ & studijs quis putet esse locum?
Te tamen ista iuuant, nec res tibi gratior vlla est:
Quam sophiæ vt tribuas tempora certa bonæ.
Marimore ab antiquo magni depicta Platonis,
Roma ingens olim quæ dedit ora mihi
Ergo tibi Euphonijs nostro quæ nomine noster
Obtulit, hæc grata suscipe quæso manu.
Vt cuius tu scripta legis, imitaris, honoras
Non ignota tibi sint quoq; & ora viri.

IN EFFIGIEM
PLATONIS.

SIC latos humeros, sic colla augusta ferebat,
Conscia diuinæ mentis & ora, Plato.

AD MAGNIFICVM D▷ D▷ SEVE-
RINVM BONERVM CASTELLA-
NUM BICZENSEM. ET SALLI-
NARVM REGNI POLONIAE
PRAEFECTVM ETC.

DE SALINIS WIBLICZEN.

Velicij ingentesq; specus vastasq; cauernas

Commiffas curæ magne BONERE tuæ.

Secturas falis æternas, fœcundaq; saxa

Quæ ferrum exercet perpetuusq; labor,

Te duce Iustraui, cum nos fune alta vorago

Demiffos longo detulit in gremium

Telluris grauidæ, veluti Cumea Sybilla

Æneæ ad Stygios dux fuit ante lacus.

Tyrefias Ithaco, Theseus vestigia filo

Cœca regens cœcum ceu Labyrinthon inuit,

Sed neq; Dedaleus Creta labyrinthus in alta

Quodq; idem Cumis post modo fecit opus,

Obuius aut fibimet refluis Meander in vndis,

Tam multas varias tamq; habuere vias;

Nec perfoffus Athos, Xerxis dementia, ferro,

Myfeniue specus, Pausilypiuè uia.

Hostia quæq; tenent centum larga antra Sybillæ

Vnde ruunt totidem missa responsa deæ,

Ipse suis semet perdat Meander in vndis
Inq̄ tuis queras te Labyrinthē vñs.
Hæc loca si subeas, vaga texta, speculq̄ profundos:
Antraq̄ quæ fossæ lata minacis hiant.
Pyramidum in morem falsæ stant mille columnæ,
Quas Aegiptiacis molibus ante feras,
Hæ vastos retinent alta cum fornice montes.
Et templa & muris opida cincta suis,
Excisæq̄ iacent moles, tumuliq̄ nitentes.
Quos potat cannis desuper vnda fluens.
Illa salem reddit vasto decocta lebetes,
Qui niue candidior Sythonis ora tuo est.
Finitimis longe auctus qui sufficit oris,
Et large patriæ sufficit ille suæ.
Nec satis inuento ipse nouo hæc Seuerinus adauxit:
Atq̄ sale ædificat nunc iūga foeta nouo.
Quos rite ipse suo montes de nomine dixit,
Nomine quod poterit nulla abolere dies.
Dum maris vndisoni falsos dabit vnda sapes,
Rebus in humanis dum salis vsus erit.
Hic epulas inter lautas, ludosq̄ iocosq̄,
Traduco vitæ mollia fata meæ.
Egregio hic nubens pulcherrima nympha marito
Tristitiam & curas hinc iubet ire graues.

Auspicio Seuerine tuo sumptuq; benigno,
Hæc sponso, hæc nobis gaudia grata facis.
Det veniam nobis Gracchi de nomine noster
Loxanus, qui nunc moenia dicta colit,
Romani tractat dum certa negocia Regis
Orator, solita sedulitate, fide.
Nec desertorem putet, erronemue vagumue
Quod me nunc aliquot cernit abesse dies.
Namq; ego qui insulsus secum hæc ad moenia veni
Conditus multo nunc sale falsus ero.



LOGVS DE SE

Huius fida Logo sacri custodia templi
Credita Loxani munere nuper erat.
Nunc illum, qui maior honos, Romanus eidem
Præfecit templo rex sacer ipse sacro.
Vt qui Musarum castus fuit ante sacerdos,
Nunc quoq; sit veri cultor & ille Dei.
Te pio crux alma pius veneretur honore,
Hæc quæ augusta tenes templa dicata tibi.

PRESTANTISSIMI ET ELE
GANTISSIMI HEROIS IO
ANNIS ZBONSKI
MVSICA

Z Bonski candide, splendide, erudite,

Ihter præcipuos meos sodales

Quondam, at nunc mihi candidus patronus

Tuffis me mala, rauis, & grauedo

Vexabant miseris modis, diesq;

Et noctes nimium mihi molesti,

Vt nunquam tegerem quiete ocellos,

Vt tota irrequietus ipse nocte

Verfarer quatererq;, & huc & illuc,

Cum te candide amice, candido tunc

Anselmo comitante me Ephorino,

Quem Phoebus pater, huius & sorores

Insignem gemina fecere in arte,

Et cantu egregium & simul medendo,

Nostræ parte animæ bona, Ephorinos

Inuisti officiosus, immemor ne

Viderer veteris sodalitatis

Consuetudinis illiusq; nostræ

Qua nos Felsina docta, Romulicq;

Dñ magni eximij viri & disertij,
Et prisca eloquij vnici magistri,
Coniunxit schola, contuberniumq;
Doctum, nobile, candidum, expolitum,
Germanis, Italis, tuis Polonis
Et Belgis simul, & simul Britannis,
 Andulces memorẽ minusue amores?
Et dulci in domina vtriusq; flammis,
Quæ me, quæ tua pectora exedebant,
Totis ossibus, intimis medullis,
Sic visum puero fero, atq; matri
Quæ Cyprium tenet, alta quæ Cythera,
Lætis tristitia quæ subinde miscet,
Et quæ sola homines domat deosq;
 Inuisi, alite sydere & secundo,
Nam tu, ceu in medio pater sororum
Sedet Delius ipse concinentum,
Pectus gaudia cuius atq; mentem
Pertentant tacitam, inter occinentes
Cantores, numero modo hoc, modo illo,
Et voce, & fidibus simul canoris
Tybñs quoq; fistulisq; raucis,
Et quos Arcadiæ Deus magister
Coniunxit calamos noua arte plures,

Tam pulchrè, lepideq̃, suauiterq̃,
Vt votis cuperem, harum amœnitatum
Diuùm partem aliquam venite ad aures
Quorum cœtibus interesse sanctis
In Iouis folio mihi videbar,
Sic tu dulcis amice, sic sedebas,

His ergo lepidisq̃ tamq̃ amœnis
Tam sum lusibus ipse recreatus,
Tam sum delitijs tuis reffectus,
Iucunda & simul allocutione,
Atq̃ illo placido tuo lepore,
Quem tinxit lepor ipse Gratiaq̃,


Vt, quod nec Podalirius, Machaon,
Nec Phœbus pote, filiusq̃ Phœbi,
Tussis me mala liquerit repente,
Rauisq̃ arida, humida & grauedo,
Et quicquid male mi, & fuit maligne,
Tanta est gratia Musices potentis,
Tanta in corporibusq̃, mentibusq̃,
Beandis, hominum & simul deorum,
Hinc cœlū harmonia est, & inde tellus,
Hinc mentes hominum, simulq̃ corpus,
Concentu numeroq̃ stant, caduntq̃,
Aegrotantq̃, vigent, iacent, mouentur

Et quicquid fuit, est, eritue vbiq;
Gratias tibi maximas ob istam,
Ergo agit Logusò beate Zbonski,
Tam dulcem & lepidam sodalitatem,
Et multo magis vtilem & salubrem,
Nam quod me mala tuffis, & graedo
Liquerunt, simul & molesta rauis,
Musicae omne tuo hoc volens, libensq;
Acceptum refero & tuo lepori.

IN DOCTORIS ANSELMI
EPHORINI INSIGNIA▷

Æneadam Cæsar quo te exornauit in vrbe
Insigne egregius CAROLVS egregium.
Candida ouis mores, artem bona signa salutis
ANSELME ostendunt illaq; & ista tuam.
Casside quæ in summa passis stat nympa capillis
Inq; animo, inq; manu, candida vtrumq; gerit.
Carmen amat quisquis carmine digna gerit.

Excussum Cracouiae per Hieronymum
Victorem, M. D. XXXX. iij. Febr.



Et quod...
Graves...
Hic...
Tunc...
Et...
Tunc...
Et...
Tunc...
Et...

IN DOCTORIS ANSELMI
EPHORIUS INSIGNIAS

Abundant...
Insigne...
Candida...
ANSELMI...
Candida...
In...
Candida...

Ex...
Victoriam...

